Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



fere

i babilone separabitur am visitabo vos et suscitabo super vos verbum
meum bonum ut reducam vos ad locum istum Ego enim scio cogitationes quas
cogito super vos ait dominus cogitationes pacis et non afflictionis ut dem
vobis finem et patientiam Et invocabitis me et exaudiam vos Quaeretis
me et inveniatis Cum quaesieris me in toto corde vestro et inveniar a vobis
ait dominus et reducam captivitatem vestram Et congregabo vos de universis gentibus
et de omnibus locis ad quae expulit vos dicit dominus Et induxi vos in loco
de loco ad quem transmigrare vos feci Propterea haec dicit dominus
prophetis in babilone Et hoc dicit dominus ad regem qui sedet super solium
David et ad omnem populum habitatorem urbis huius ad fratres vestros qui non
sunt egressi vobiscum in transmigrationem hoc dicit dominus exercituum
Ecce mittam in eos gladium et famem et pestem et ponam eos quasi ficus
malas quae comedi non possunt eo quod pessimae sint et persequar eos
in gladio et in fame et in pestilentia Et dabo eos in vexationem universis
regnis terrae in maledictionem et in stuporem et in sibilum et in opprobrium
omnibus gentibus ad quas eiecero eos eo quod non audierint verba mea dicit dominus
quae misi ad eos per servos meos prophetas de nocte consurgens et mittens
et non audistis dicit dominus Vos ergo audite verbum domini omnis captivitatis
quam emisi de ierusalem in babilonem Hoc dicit dominus exercituum de israel
ad achab filium colaie et ad sedechiam filium maasiae qui prophetant
vobis in nomine meo mendacium Ecce ego tradam eos in manu
Nabuchodonosor regis babilonis et percutiet eos in oculis vestris
et assumetur ex eis maledictio omnis transmigrationis iuda qui est in ba
bilone dicentium Ponat te dominus sicut sedechiam et sicut achab quos
frixit rex babilonis in igne Eo quod fecerint stultitiam in israel et
moechati sunt in uxores proximorum suorum et locuti sunt verbum in nomine
meo mendacium quod non mandavi eis Ego sum iudex et testis
dicit dominus Et ad semeiam nehelamitem dicens Hoc dicit dominus
exercituum deus israel Eo quod misisti in nomine tuo libros ad
omnem populum qui est in ierusalem et ad sophoniam filium maasiae
sacerdotem et ad omnes sacerdotes dicens Dominus dedit te sa
cerdotem pro ioiada sacerdote ut sis dux in domo domini super
omnem virum arreptitium et prophetantem ut mittas eum in nervum
et in carcerem Et nunc quare non increpasti semeiam anathoth